

cameramque plenam pulveris concluserunt, parvo relicto 1511
 foramine, per quod ignis succendi posset: seque a muro
 parumper retrahentibus, cum visum est, igne immisso ca-
 mera cum muri parte decemque hominibus, qui in eo
 erant, in sublime ita est disjecta, ut homines speciem vo-
 lantium præberent. neque tamen reliqui propugnationem
 intermisserunt, fortissimeque se defendebant: qui etiam ab
 Alfonsianis altera ex Padi ripa duobusque terreis propu-
 gnaculis tormentis muralibus non parum juvabantur. ve-
 rum Hispani perplurimis adductis scalis, sesquihoræ spatio
 in arcem se intulerunt. Alfonsi milites, qui erant circi-
 ter centum, interfecti omnes sunt cum eorum centurione
 Vestitello. Ex Hispanis item centum in ea oppugnatione
 occubuerant. Tertioque ab ea re die anni finis fuit. Ne-
 que tamen diu ab Hispanis id castellum retentum est. Ja-
 nuario enim mense fere medio Alfonsus eo cum tormentis
 se conferens, magna vi aggressus arcem expugnavit,
 atque Hispanos qui in ea erant CC. omnes interfecit.

Scriperat magistris Decemvirum Aloisius Avogarius Bri-
 xianus e principibus civitatis, si exercitum Patres Brixiam
 mitterent, se urbis portam noctu ei aperitum, per quam
 se universus intromitteret, urbeique caperet libentissimis
 oppidanis prope omnibus, quibus jam magnopere pigeret
 arrogantiæ contumaciæque Gallorum, quos perferre ulte-
 riuss nequeant. Ea res in Decemvirum collegio plures dies
 agitata, demum ab ipsis ad Senatum est delata, ut de ea
 Patres statuerent, accipienda ne Aloisii oblatio esset, an
 rejicienda. Pluribus igitur dictis sententiis in utramque
 partem, atque a Lauredano Duce in primis, qui, ne ea
 tunc reciperetur, censebat; Senatus jussit, eam recipi e
 republica esse, Aloisiumque magnopere laudari oportere,
 qui se tantam rem curaturum reipublicæ obtulerit, dato
 jurejurando senatoribus singulis, ne quid ejus rei quis ef-
 ferret. Itaque Patres Grittum legatum de eo certiorem
 fecerunt, cum mandatis, uti Brixiam se quamprimum
 cum exercitu conferat, quam ad portam, quam ve ante
 horam ipsi cum Aloisio convenerit: certosque Gritto in-

1512
*Bastia ab
 Alfonso re-
 cipitur.
 XVII. kal.
 februar.*

*Venetorum
 de Brixia
 occupanda
 conatus ir-
 ritus.*